



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum XXXV. Interdicimus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

Interdicimus.

PARAPHRASIS.

Ut provideretur Ecclesijs, ad quas decimæ de jure pertinent, quæ hîc & nunc à Laicis possidentur, in feudum legitimè concessæ, vel quæ injustè detinentur; statuit Greg. IX. Pontif. non posse, nec debere illas ab ullo accipi in pignus, si à Laico in pignus offerrentur, nisi ab illa Ecclesiâ, ad quam de jure pertinent.


SUMMARIUM.

Quòd decima à Laicis injustè detenta in pignus dari non possint.

Notandum. Si sermo sit de illis decimis, quæ quidem ad Ecclesiâ aliquam de jure pertinent, hîc & nunc tamen injustè à Laicis detinentur, certam, & claram esse Pontificis decisionem, cum illæ res, quæ in bonis nostris non sunt, sed alienæ, in pignus dari non possint, *Leg. Qui filios 6. Cod. qua res pignori obligari possunt.* Si tamen Laicus justè possideat decimas, in feudum v. g. legitimè sibi ab antiquo ante Concilium Lateranense datas, potest illas cum consensu Episcopi (illius scilicet, qui in feudum has decimas legitimè concessit, seu successoris, tanquam domini feudi talis, cujus consensus in alienanda re feudali requiritur) non quidem Laico alteri, si scriptum jus attendatur, sed Clerico, Religioso, Monasterio, aut Ecclesiæ alteri in pignus dare, *argum. cap. cum Apostolica Sedes 7. de his qua sunt à Pralat.* Si enim, ut in relato modò cap. conceditur, decimæ tales à Laico justo possessore donari possint Ecclesiæ alienæ, cur non possint oppignorari, quia, cui conceditur majus, videtur etiam minus concessum.

cùm revocatio, quæ habetur in *Cap. nuper*, tantum facta sit de prædijs, & fundis jam antecesserit frugiferis, & decimabilibus, ex quorum immunitate, per privilegium obienta, præjudicari potuit Ecclesijs, quibus antea decimabiles fuerunt; & nulli in allato *Cap. de revocatione immunitatis à decimis Novalium*, quæ proprijs manibus aut sumptibus à Religiosis talibus excoluntur, fiat mentio: cum ergo ex *cit. cap. ex parte 10. hoc. tit. privilegium immunitatis à decimis circa prædia*, quæ proprijs manibus aut sumptibus excolunt Religiosi tales, concessum sit, & hoc privilegium præcisè revocatum sit quoad fundos jam antea decimabiles, priusquam ad monasterium pervenerunt; clarè patet, quoad alia in hoc Notando annotata, saluum manere illis concessum privilegium. Videatur *cap. ex parte 10. h. r. & Theologia Moral. loc. cit. cap. 3. n. 4.*

Notandum tertio. Si hodie privilegium immunitatis indefinitè à decimis, quæ proprijs laboribus, aut sumptibus excoluntur, à Pontifice Religioso alicui monasterio, vel Ordini concedatur, cum expressa derogatione *cap. Nuper*, intelligi debet, quòd non tantum immune sit tale monasterium à dandis decimis circa prædia, quæ tempore concessi hujus privilegij possidebat, sed etiam quæ postmodum acquirit; cum verbis Concilij, quoad illa tantum prædia immunitati derogetur, quæ post Lateranense, sine derogatione hujus *cap. nuper* obienta sunt, non tamen, quæ cum dicti *cap. derogatione* etiam post Lateranense obienta sunt, prout probant DD. *ex hoc cap. & ex cap. que circa 22. de privilegijs.* ubi dicitur, quòd, qui indefinitè remisit decimas, intellexisse videatur, non tantum de decimis bonorum illius temporis, sed etiam futuri, cum nihil exceperit, & tamen potuerit exceperisse.



CAPI-